

TYPOGRAPHUS LECTORI.

CVm mensibus elapsis per editionem Imolensem doctissimi Operis Jo: Sebastiani Vespignani de Emptione, & Venditione, nec non de Expensis, quæ fuit in causis Civilibus &c., novo Jurisprudentia munere decoraretur, in quo quantum doctrinæ, ac diligentie Author impenderit clarissimè constat: nonnullæ occurrerunt mibi in ejusdemmet Libri calce apposita Consultationes Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Alexandri Fidelis, olim in Fanensi Civitate Vicarii Apostolici, nunc verò Civitatis Æsi meritissimo Antiflitis, in quarum prima scilicet Fanen. Immunitatis Cœmeterii 6. Septembris 1688., nescio an Typographi, an verò Amanuensis incuria, potior, immò potissima pars, & Voti existus retinetur; Decretum nempe sacrae Congregationis Immunitatis, ex quo resolutio bujus Consultationis comprobaretur. Cum verò hoc ad Negligentiae, & Omissionis titulum facile reduci posset, opere pretium censui in hoc nostri Bertoni Tractatu de Negligentiis, & Omissionibus, Omissionem bane indicare, ac in subiecta materia Fanen. prætentia Immunitatis, Juris Allegationem Illustrissimi D. Dominici Catalani, olim Fani Locumtenentis, & prius Auditoris bujus Vicelegationis Ferrariae, nunc verò Eminentissimi, & Reverendissimi D. Card. de Verme Episcopi Vicarii Generalis adnecere, unà cum Sacrae Congregationis resolutione, ad hoc, ut utriusque Consultationis scilicet, & Allegationis fundamenta, ac rationes elucescant, quorum intuitu Decretum Sacrae Congregationis buic postremæ Allegationi favorable emanaverit, cujus retentia sanè claudicare Consultationem illam Jurisperiti censuerunt.

Fanen. prætensa Immunitatis.

PErvenit nupèr ad manus Liber Variarum Consultationum de Emptione, & Venditione, ac de Expensis, quæ fuit in Causis Civilibus, impressus Imola de Anno 1702., Authore D. Joanne Sebastiano Vespignano Imolensi, cum tribus Consultationibus Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Alexandri Fidelis Episcopi Æsi in illius calce annexis, in quarum una, quæ primum, & potiorem occupat locum, & cui titulus est *Fanen. Immunitatis Cœmeterii*, idem doctissimus Præfus clara, & eleganti methodo luculentè ostendit fundamenta, & rationes, quibus, cùm esset Vicarius Apostolicus in Civitate Fani, motus fuit ad declarandum prò Immunitate ad favorem Ludovici Mazzocchii Carcerati per Birruarios illius Curiæ Laicalis in quadam Caupona, vulgo Bettola posita propè locum immunem.

Verùm quia id evenit de tempore quo Ego eram Locumtenens recolendè memoriaz R. P. D. Benedicti Josephi Spinelli Caraccioli ex Principibus Scaleæ, qui ex hac Vicelegatione Ferrariae ad illud Gubernium tran-

situs fecit, & ad proprium munus adimplendum scripti prò tuitione Jurium Tribunalis Laicalis, opera pretium duxi adhuc Typis demandare per me opportunè, quamvis rudi calamo, exarata, unà cum ipsa individuali resolutione Sacrae Congregationis Immunitatis desuper edita, ad effectum, ut omnibus innotescat quid in causa actum, & conclusum fuerit; & quid, & quomodo in similibus casibus, qui passim occurrere possunt pro Justitia, & Veritate respondendum, & judicandum sit; Quod facere lubet prò mea præsertim indemnitate, utque minimè inurar Negligentiae, aut Omissionis nota, quam reticendo incurrerem, quippè quod ex contextu totius Consultationis, præcipue in §. Ad remedia, videtur quodammodo firmari incidisse in Censuras memoratos Birruarios, & per consequens Curiam Laicalem malam souisse causam, ac perperam egisse eos defendendo: Quod sanè deflecit à Veritate, ad quam nati sunt Homines, ut notat *Fagnan. in p. part. Decret. cap. ne innitaris num. 114. de Constitut.*, & quæ Nobis supra cæteros Amicos magis amica

amica esse debet, ad tradita per Prob. in addit. ad I: Monach. in cap. Nemo nu. 75., & seqq. de elect. lib. 6., & Barbos. Axiom. 224. num. 2.

Præmisso igitur breviter, & fideliter Facto, unde Jus oritur, & moritur, ut ait idem Barbos. Axiom. 93. num. p., quod nempe de Anno 1688., dum Ludovicus Mazzocchius de Albareto Ariminum. Diœcesis condemnatus contumacialiter ad triremes per septennium in Tribunalis Legationis Æmilie moram traheret comedendo, & bibendo in quadam Caupona, sed Bettola propè Ecclesiam Parochialem Divi Thomæ ejusdem Civitatis Fani, fuerit ibidem carceratus per Birruarios Curiæ Laicalis, qui ad hunc effectum transierunt per Cœmeterium dictæ Ecclesiæ, & reversi fuerunt unà cum carcerato per idem Cœmeterium, ex quo aliundè ad dictam Cauponam nullus aliud patet aditus; Quodque per Curiam Laicalem fuerit deinde consignatus in Carceribus Episcopalis pendente discussione an deberet gaudere, vel non; Et denique restitutus eidem Ecclesiæ vnde fuerat extractus, prævia declaratione judicialeter emissa per ipsum Vicarium Apostolicum, quod gauderet Immunitate Ecclesiastica,

Examinanda incidit quæstio, an captus extra locum sacrum, & ductus per Birruarios per locum immunem, gaudere debeat Ecclesiastica Immunitate; Et de hac principaliter actum fuit, nam quoad alias quæstiones, quæ potius ad ornatū Consultationis, ac ut eadē copiosior evaderet, quām pro opportunitate Causæ exactè discutiuntur, tūm circā consignationem Carcerati in Carceribus Episcopalis pendente declaratio-ne, an Carceratus debeat gaudere, vel non, tūm circā inspectionem, an Cœmeterium sit locus immunis, tūm etiam an cognitione Causæ spectet ad Episcopum, & sub nomine Episcopi veniat Vicarius Apostolicus, datae fuerunt manus viæ, cum sint conclusiones, & resolutiones satis tritæ, & incontrovertibiles favore Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiastice, præsertim, quod Cœmeterium sit immune, & quod cognitione Causæ spectet ad Episcopum, de quibus, ut rectè memini, nèquidem per umbram fuit dubitatum, nèque minimū habitum verbum.

In ea itaque principali quæstione, negativam sententiam, quod nempe taliter captus extra locum sacrum non gaudeat Immunitate transiendo per Ecclesiam, Cœmeterium, aliumque locum immunem, etiam quod petat illius Immunitate defendi, veriore, & communiorum credidi, & sustinui, ut potè validis rationibus, & Doctorum auctoritate fulcitam.

Rationibus siquidem, quia Immunitas concessa est ei, qui configit ad Ecclesiam ad text. in l. 2. ibi - ad Ecclesiæ fugientes l. 2. ibi - ad Sacrosanctas Ecclesiæ configuentes l. 3. 4. 5. & tot. tit. C. de his qui ad Ecclesiæ configiunt cap. inter alia - ibi fugiens ad Ecclesiæ de Immunit. Ecclesiæ, & in Constitutione 7. Gregorii XV. ibi - ad Ecclesiæ, loca sacra, & religiosa configientibus. Captus verò, qui ducitur per Ecclesiam, ad eam non configit, cum ille actus sit coactionis, & necessitatis.

Secundò, quia Ecclesia liberum, & immunem servat, quem liberum, & immunem recipit, qualis non est qui captus ducitur ad tex. in l. qui neque 48. §. solutum ff. de verb. signif.

Tertiò, quia initium, & non finis cuiusque rei attendi debet, l. Pomponius ff. de negot. gest., cum concordantibus penes Barbos. axiom. 187. verb. Principium num. 2., unde dum capture fuit licita extra locum immunem, totus actus qui subsequitur, quique sine intermissione fit, ab eadem capture, tanquam à suo principio regulari debet.

Quartò, quia Ecclesia violentam extractionem prohibet, & punit: textus est in can. si quis contumax., ibi - fugientem servum &c. de atrio Ecclesiæ &c. per vim abstraxerit &c. 17. quest. 4., Captus autem, qui per Ecclesiam ducitur, ab Ecclesia violentè non evellitur, & per consequens Ecclesia, hujusmodi extractionem minimè prohibet.

Quintò, quia existens in posse Curiæ non eo fine intrat Ecclesiam, ut defendatur, sed casu, & per transitum invitatus per eam ducitur ad carceres, vel ad supplicium: Ea autem, quæ non principaliter, sed in transitu, & incidenter fuit non habentur in consideratione, l. si quis neque causam cum similibus ff. si certum petatur.

Sextò, quia in l. si quis post banc C. de ædific. privat., expresse cavetur, quod prohibita PPP extra.

Estone ornatus, hoc est marmorum, vel columnarum à Civitate, possit nihilominus quis ornatum hujusmodi, quem habet in una possessione transferre ad aliam, etiam transiendo per Civitatem. Igitur à parlicetum erit Ministro Curia hominem jam factum suum, quem captum tenet, per medium ducere Ecclesiam, non amittendo Ius, quod habet in illum.

Et quamvis hanc paritatem impugnet, & frivolum existimet. *Gambacurt. de Immunit. lib. 4. cap. 18. num. 4.* non est tamèn audiendus, cùm valeat in Iure argumentum à simili ad simile. *Everard. in Topic. legal. loc. 10.* & de re ad personam. *I. si quis s. sita legatum ff. de legat. 1. Cancer. var. resol. lib. 1. cap. 17 sub num. 3.* quapropter textum in d. *I. si quis post banc singularem ad materiam appellat Peregrinus de Immunit. cap. 5. num. 6.* & meliorem in proposito reputat *Gutierrez. tract. quæst. Civil. lib. 3. quæst. 6. sub num. 2.*

Doctorum authoritate, quia eam concordi calamo sequuntur *Archid. Alberic. Palat. Rub. Marfil. Bossus. Decian. Adden. ad Gamm. Tus. ch. Gomez. Aylon. Laynez. Sanchez. Suarez. Borel. Boer. Marta Villalobos. Franc. Marc. Mexia. Bobadil. Bonacin. Lezzan. Castropol. Xamar. Farin. Guazzin. Ambrosin. Italia. Tener. Thorus. Pellizar. in Manual. Regular. tract. 8. cap. 5. sect. 1. quæst. 18. num. 33. Donat. de Asyl. resol. 20. 7. Aadaen. ad Sanfelic. decis. 402. ver. ob. serva Danza de pugna DD. tit. de Immunit. cap. 2. num. 13. Carthar. decis. 5. per tot. Mallet. de Hierarchia. Eccles. lib. 4. part. 2. tit. 6. num. 6. Delben. de Immunit. tom. 2. cap. 16. dub. 10. sect. 5. num. 4. & 5. Sperell. decis. 504. num. 62. Pignatell. tom. 1. Consult. 96. num. 5. in secunda Editio ne Veneta.*

In nihilo refragante, quod pro affirmativa, quam in judicando secutus fuit, & modò scribendo sustinere conatur sapientissimus Præsul, stent *Cassan. ad Confutud. Burgund. rubr. 1. §. 5. tit. de Injustices num. 121.*, qui ait se vidisse observari *Pictavii*, quod quidam damnatus ad mortem, ex quo transiit ductus à Ministris per Cœmeterium gavisus fuit Immunitate Ecclesiastica. *Gyas de crim. laf. majest. commit. quæst. 10. num. 33.* ubi testatur de visu, idem fuisse servatum Venetiis. *Peregrin. de Immunit. cap. 5. num. 7. Fagundez de præcept. Eccles. lib. 4. cap. 4. num. 57. Delben. de Immunit. Eccles. par. 2. cap. 16. dub. 10. sect. 7. num. 7. Diana parte 1. tract. 1. resol. 30.*

num. 4. & in Coordinat. de Immunit. tom. 9. resol. 105. num. 4., qui ajunt dictam opinionem esse magis piam, & favorablem Ecclesiae, ac idè in praxi observandam. *Gambacurt. de Immunit. lib. 4. c. 18. Fagnan. in 2. p. 3. libr. Decret. cap. inter alian. 44. 88. 91. de Immunit. Eccles.*

Quodque ita fuerit resolutum per Sacram Congregationem Episcoporum, & Regulare in Sipontina 12. Martii 1653. *Theanen. 13. Iulii. & Hieracen. eodem die. & anno relat. per Delben. in addit. noviss. ad tract. de Immunit. verbo Immunitas, circa medium, & per Nicol. lucubr. lib. 1. civil. tit. 8. de his qui sunt sui Ec. & de Immunit. Eccles. nu. 25. ver. non autem, nec non per Pignatell. & Lantusi quæ omnes Authoritates citantur in Consultatione à s. bis addebam, usque ad s. hancque nostram;*

Et quod idipsum fuerit servatum apud Romanos erga eos, qui capti ducebantur intrà inanum Deorum Templa, teste *Aulo Gellie noct. Attic. lib. 10. cap. 15.*, ut ex eadem Consultatione s. Quinimmò.

Quoniam ad totaliter, & funditus evertendam vim, & efficaciam dictarum Authoritatum, & aliarum si quæ sint, & ad ostendendum in quo sensu, & quomodo eadem intelligenda sunt, & procedere possunt, trifariam respondetur, &

Primò, quod duplex est ratio, qua moventur Doctores citati prò affirmativa ad favorem Immunitatis, ut cæteris relatis indicat *Cortiad. decis. Cathal. 84. num. 1.* Prima est, quod licet is, qui per Ecclesiam ducitur, non propriè ad illam dicatur confugere, satis tamèn est, quod ubi ad eam pervenit, & dum in ea est, petat illius Immunitate defendi, dum non modò confugiens ad Ecclesiam, sed etiam in ea residens Immunitatem consequatur ad text. *in canon. sicut antiquitus, & can. diffinitiv. 17. quæst. 4.* Altera est, quia nullo Iure cautum reperitur, ut quis veniat liber ad Ecclesiam, ad hoc, ut ejus Immunitate gaudeat. Aliam excogitavit disertissimus Præsul, quod nempe confugium præsumatur, quoties quis reperitur in Ecclesia; quodque eidem Ecclesiae quæstum dicatur Ius Immunitatis, cui ipse Reus renunciare nequit, nec expresse declarando nolle gaudere, nec tacite permittendo se extrahi, ut ex longa Doctorum serie, quos citat in s. *Sicut è converso.*

Hæ tamen rationes nullius sunt ponderis, & momenti, atque idè ut leves, & insuffi-

sistentes dilabuntur, & corruunt.

Corruit, immò evanescit, uti minimè applicabilis postrema hæc ratio, quia cùm ex predictis, & infrà dicendis qui captus ducitur per Ecclesiam non dicatur ad eam confugere, implicat contradictionem, quod præsumendum sit confugium quando constat illud non adesse; præsumptio etenim cedit veritatil. *fin. ff. de eo quod metus caus. Menoch. conf. 86. num. 106. Surd. conf. 7. num. 61. Gratian. discept. forens. cap. 832. num. 15. & cap. 909. num. 23. Novar. decis. 30. num. 5.* Et licet per confugium queratur Ius Ecclesiae, cui Reus renunciare non potest, non dato tamèn confugio nullum Ius Ecclesiae competit, quia Contrariorum contraria est ratio, & contrarius est effectus *l. qui accusare ff. de accusat. Everard. in Topic. legal. loc. 75. Caesar Argel. de legit. contradic. quæst. 3. num. 75.*, & positio uno ex eis, removetur alterum *l. inter me ff. de except. rei judic. Surd. conf. 230. num. 13. lib. 2. Gratian. discept. forens. cap. 894. num. 4.*

Corruit prima, quia, ut suprà visum est, spestandum est principaliter initium capturæ, qua succedente in loco non immuni, cessat privilegium Immunitatis à Iure concessum fugientibus, quoisque captus ducatur, vel resideat perstrictus à Satellitibus in loco immuni, cùm ad eum in tali casu non dicatur fugere, sed duci; atque idè ubi verba legis non convenient, non convenit ejus dispositio ad text. *in l. 4. §. toties, ubi Paulus ff. de damno infecto l. constitutum de milit. testam.*, & quod lex non dicit, nec nos dicere, aut præsumere debemus. *l. denunciantis C. de repudiis Surd. consil. 219. num. 21. Barbo. Axiom. 136. num. 7. Fontarell. decis. 505. num. 4. tomo 2.*

Corruit altera, quia constat ex Iuribus suprà deductis, quod oportet, ut vadat liber ad Ecclesiam, qui ejus Immunitate vult perfrui; Ecclesia etenim tutatur confugientes: capti vero per manus Satellitum non dicuntur confugere, sed adduci, ac transportari, atque idè liberi non sunt, ita ut possit dici, quod fugiant *l. liberationis 47. & l. qui neque 48. ff. de verborum significat.* Et donec existant in manibus Curia juvari non possunt dispositio dd. Canonum *sicut antiquitus, & diffinitiv. 17. quæst. 4.* volentium, quod residentes in loco immuni nequeunt indè abstrahi, cùm non verificetur, quod ad eum liberi confugerint, & liberi permaneant.

Id quod mirificè confirmatur, & manife-

stum redditur sumpto argumento ab absurdio vitando, quod est optimum, & concludens per text. *in l. scire oportet. §. aliud ff. de excusat. Tutor. Iason in l. divortio not. 5. ff. solut. matrim. Mantic. de tacit. & ambig. lib. 2. tit. 13. sub num. 2., & de Coniect. ult. volunt. lib. 3. tit. 7. num. 1. Mar. Anton. Maceraten. lib. 2. var. resol. 32. num. 13.*, nam si esset admittendum, quod existens in potestate Curia gaudere debeat Immunitate Ecclesiastica, sequeretur, quod introeunte Sacerdote ad Carceres prò administranda Sanctissima Eucharistia, omnes Carcerati, & facilius qui communicandi sunt, liberi efficerentur tangendo personam dicti Sacerdotis, cui in hoc casu incontrovertibiliter competit Immunitas, quia si ea conceditur Ecclesiis propter Deum, multò magis ad ipsum Deum à Sacerdote gestatum, quoniam causa causæ, est causa causati, ad tradita per Doctores unanimiter, & signanter, antiquioribus omissis, per Barbos. de Iur. univ. Eccles. part. 2. cap. 3. num. 69. *Delben. de Immunit. tom. 2. cap. 16. dub. 9. sect. 16. per tot. Diana de Immunit. part. 1. tract. 1. resol. 28. & in Coordinat. tom. 9. tract. 1. resol. 12. Sperell. decis. 49. num. 5. Carthar. decis. 7. num. 7. post. Hostien. in cap. sanè de celebrat. Missar.*, ubi dicit, hanc opinionem sequendam esse usque ad effusionem sanguinis.

Insupèr sequeretur, quod ed ipso ac Inquisiti ducerentur per Birruarios ad Carceres Episcopales, statim deberent ad pristinam libertatem restitui, quia Carceres Episcopales gaudent Immunitate Ecclesiastica. *Sac. Cong. in una Nullius 30. Junii 1632.*, quam refert *Delben. in addit. noviss. verb. Carcer.*

Sequeretur etiam, quod Condemnati ad Tribunes, vel ad opus in toto Statu Ecclesiastico nequarent transfuchi per solitum iter ad Carceres novos Urbis, & indè ad Civitatem Vetulam, stantibus tot Ecclesiis positis per vias publicas, prout signanter in ipsa Civitate Fani, ubi propè Portam, quæ respicit Mare extat Ecclesia S. Spiritus, & per eandem viam in distantia vix unius milliarii adest Ecclesia S. Mariæ Pontis Metauri, quæ cùm sit campestris, & ruralis gaudet Immunitate per 30. passus, etiam per viam publicam, ut declaravit *Sac. Cong. de anno 1687. Mense Octobris teste Pignatell. tom. 9. consult. 19. num. 3. in fin.*, & in Tribunali Eminentissimi Card. Vicarii die prima Septembri 1694.